LOCI NONNULLI APUD LIBANIUM EMENDANTUR.



Cum Iuliani Oratione in Antiochenses comparans quae apud Libanium de eadem re scripta essent, incidi in locos quosdam nondum a Reiskio emendatos, de quibus quid mihi videatur paucis exponam.

Libanius *ἐν τῷ Πρεσβευτικῷ τῷ πρὸς Ἰουλιανόν* civium causam agens deliquisse eos fatetur, sed poenam deprecatur et veniam rogat his verbis (Tom. I. p. 458 Reisk.): *ἡμάρτομεν, ὁμολογοῦμεν, καὶ γεγόναμεν τῆς σῆς βουλήσεως βραδύτεροι. — τί οὖν; α ἴ τ ι ο ν δεῖ διὰ τοῦτο γενέσθαι τὴν πόλιν;* Mendosum est *αἴτιον*. Quid Sophista scripserit non est admodum difficile ad reperiendum. Unusquisque id elicere poterit e Libanii oratione ad cives *περὶ τῆς τοῦ βασιλέως ὀργῆς* (Tom. I. p. 417): *μεῖζον κακὸν τῷ Ῥωμαίων βασιλεῖ δοκεῖν ἀξίαν ἀναςάσεως εἶναι τὴν πόλιν ἢ παρὰ τῶν βαρβάρων ἔργῳ τοῦτο παθεῖν*, id est *ἀνάςατον γενέσθαι*. Viden id ipsum in loco corrupto latere, *τί οὖν; ἀ ν ά ς α τ ο ν δεῖ — γενέσθαι τὴν πόλιν?* Quod continuo addit p. 487: *τὸ μὲν γὰρ ὁ τοῦ πολέμου νόμος οἶδε καὶ τῶν εἰωθότων τὸ π λ ῆ θ ο ς, τοῦ δὲ οὐ πολλὰ τὰ παραδείγματα*, in his Reiskius (quod raro facit) repertam veram lectionem aliud agens abiecit. Sensu vacuum est *τῶν εἰωθότων τὸ π λ ῆ θ ο ς*, sed nihil est verius quam quod in Codice oblatum Reiskius sprevit, *τῶν εἰωθότων τὸ* ΠΑΘΟC, nempe *τὸ πόλιν τινὰ ἀνάςατον γενέσθαι* recte dicitur fuisse *τῶν εἰωθότων*. Saepe enim id fieri erat solitum.

Praesens pro aoristo suppositum vitiat loci sententiam p. 462, ubi laudatur Deorum clementia, qui dicuntur, *τῶν ἀ μ α ρ τ α ν ό ν τ ω ν μὲν εἰς εὐχὰς δὲ καταφευγόντων φειδόμενοι*. Homines enim ad preces confugiunt non *dum peccant*, sed *postquam peccaverunt*. Itaque repone *ἁμαρτόντων* pro *ἁμαρτανόντων*.

Admetus Themistoclem (pag. 464) *οὔτε τοῖς ἐξαιτοῦσιν ἔδωκε κτἑ.* Excidit praepositio, nam *διδόναι* in tali re nemo dicit, sed *ἐξέδωκε* est reponendum.

Barbarismum retinuit Reiskius pag. 476 in his, *εἶθ' ὑπὲρ ὧν ὅπως μὴ ἀπολοῦνται πονεῖς, τούτους ὅπως ἀθυμοῦντας ἀπολῇς σκοπεῖς; καὶ λιμοῦ μὲν ἐξαίρεις, λύπαις δ' ἐκδίδως;* Barbarum est *ἀπολῇς*. Libanius indignus est quidem illis laudibus, quibus olim cum caeteris Sophistis et Rhetoribus eiusdem farinae extolli solebat et cum Atticis conferri, sed dedit tamen sedulo operam ut illorum dictionem et compositionem imitaretur et referret. Excedit modum Reiskia quum auctoritate mariti nimium Libanium mirata scriberet in Praefatione: „*Libanii scripta — tot exquisitis veneribus et Atticis elegantiis nitent, ut Attici sermonis norma haberi possint.*" Erat tum saeculum de talibus scriptoribus tam magnifice sentire, ad quae nunc subridemus. Sed quamquam Libanii deterior fuit Graecitas, cavit tamen sedulo ab erroribus quibusdam, quos ei sequiorum temporum Graeculi affricuerunt. Atticorum more *ὅπως* et *ὅπως μή* cum *futuro* indicativi iungere solebat, sed scribae *coniunctivi* formas substituunt tanta confidentia et temeritate ut ne ab extrema quidem barbarie temperent ubi diversa est futuri et aoristi coniunctivi forma. Antiquum et genuinum est *ὅπως ἐρεῖς, ὅπως ἐρεῖτε*, verum isti *ἐρῇς* et *ἐρῆτε* supponunt nil suspicantes mali. Tam imperiti sunt isti Graeculi antiquae Graecitatis, ut ne *δώσῃς* quidem aut *θήσῃς* aut *ἀφήσῃς* scribere dubitent. Dixerat Libanius *ὅπως — ἀπολεῖς*, at illi antiquum obtinent et barbaram formam *ἀπολῇς* invexerunt. Exempla passim obvia. Pag. 492 in verbis, *ὅπως εἰς ϛενὸν ἥξει (ἡ ἀγορὰ) διεπράξασθε*, alii libri *ἥξῃ* exhibent. Pag. 488, *σκοπεῖν ὅπως τι τῶν ἡμαρτημένων ἀναλύσομεν*, ex aliis *ἀναλύσωμεν* affertur. Et in illis quidem coniunctivi aoristus, modo ne sit barbara forma, ferri quodammodo potest, sed alia res est in oratione elliptica, ubi *ὅπως* et *ὅπως μή* necessario *futuri* usum requirunt. Itaque vitiosum est quod circumfertur pag. 503, *ἀλλ' ὅπως, ἡνίκα* (leg. *ἡνίκ' ἂν*) *ἐγγὺς ᾖ τὰ δεινά, — μή μοι περιϛάντες ὀδύρησθε*, sed requiritur, *ὅπως — μή μοι ὀδυρεῖσθε*, eodemque remedio passim in eadem labe utendum.

Adscripsi et sqq. ut mendum eximam. Scribendum est enim, *λιμοῦ μὲν ἐξαιρεῖς*, pro *ἐξαίρεις*. Saepe *ἐξαιρεῖν* et *ἐξαιρεῖσθαι* apud Libanium et Iulianum et aequales ponuntur pro *liberare* malo aut periculo, *κακοῦ*, *κινδύνου*, *αἰτίας*, similibusque.

Quod dicit Libanius p. 476, *ἔσωσε μὲν Ἀλέξανδρος τὴν πόλιν, ἔσωσεν. οὐκ ἂν ἄλλως φαίην. ἀλλὰ μετὰ πικρῶν ῥημάτων*, non debebat dubitare Reiskius de quo tandem Alexandro haec dicerentur. Satis disertum est in hanc rem testimonium Ammiani Marcellini XXIII. 2. *Ipse autem* (Iulianus) *Antiochiam egressurus Heliopoliten quemdam Alexandrum Syriacae iurisdictioni praefecit, turbulentum et saevum: dicebatque non illum meruisse, sed Antiochensibus avaris et contumeliosis huiusmodi iudicem convenire.*"

Reprehendit cives suos Libanius p, 492, quod quum Princeps onus iis imposuisset cui ferendo non essent, non studiis certe suis Principis consilium adiuvissent, et quum rem ipsam, quam ille volebat, praestare non possent, non voluntatem saltem et alacritatem praestitissent: *ἐγὼ δ' ἠξίουν ὑμᾶς συνερασθῆναι μὲν τῷ βασιλεῖ τῆς κατας͂άσεως ταύτης, θαυμάσαι δὲ τὴν ὁρμὴν, εἰ καὶ τὸ ῥᾶς͂ον ἀπῆν, ὡς ψυχήν τε φιλάνθρωπον ἐμφανίζουσαν καὶ τῇ πενίᾳ βοηθοῦσαν.* Iulianus studebat vilitati annonae. Quum magna esset in urbe frumenti copia, sed impenso pretio vaeniret, ipse edicto pretium frumento statuit, quo ne quis pluris venderet. Copiam se facturum credebat, sed illa ipsa res „*secus quam convenit ordinata inopiam gignere solet et famem*," ut vere iudicat Ammianus Marcellinus XXII. p. 226, 26 Vales. Antiochensis ordo (eodem teste) Principi demonstravit „*id tunc fieri cum ille iuberet non posse*," sed obstinatus Princeps in proposito perstitit „ *Quocirca in eos deinceps saeviens ut obtrectatores et contumaces, volumen composuit invectivum, quod* Antiochense vel Misopogonem (*Ἀντιοχικὸν ἢ Μισοπώγωνα*) *appellavit, probra civitatis infensa mente dinumerans addensque veritati complura*," ut scribit Ammianus l. l. Libanius civium suorum animos leniens et ferociam frangens utitur iis verbis, quae supra apposuimus, ut dicat Principis consilium probari certe oportuisse et adiuvari, si non reapse posset, at studio saltem et voluntate. Manifesto cor-

ruptum est quod interponit, εἰ καὶ τὸ ῥᾷστον ἀπῆν. Non enim hoc potuit dicere „*etiamsi non esset ea res minimi negotii,*" aut „*quamquam non erat res facillima.*" Ponit enim pro certo id quod Princeps iussisset *omnino fieri non potuisse.* Hoc ipsum postulante sententia ita restitues ut pro ῥᾷστον scribas ἀνυστόν, εἰ καὶ τὸ ἀνυστὸν ἀπῆν, quod eleganter dicitur pro εἰ καὶ ἀδύνατον τὸ πρᾶγμα ἦν.

Pag. 503 in verbis εἰ τῶν τε ἄλλων αἰτιῶν οὐ μετέχοντες καὶ θεοῖς θύοντες μετὰ τῶν ἀσεβούντων τε καὶ τἄλλα ὑπ' αὐτῶν ζημιωθεῖεν, recipere debuerat Reiskius optimam correctionem a se repertam ὑπαιτίων pro ὑπ' αὐτῶν.

In sqq. revoca probam scripturam Hesiodei versiculi:

πολλάκι καὶ σύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἀπηύρα.

Minatus erat Iulianus se relicta Antiochia Tarsos abiturum. Hinc Libanius p. 505 ita exclamat: ἐν Ταρσοῖς βασιλεύς; καὶ πέμψομεν πρέσβεις εἰς Κιλικίαν οἱ δεχόμενοι τοὺς ἐκεῖθεν; καὶ Κύδνος εὐτυχέστερος Ὀρόντου [τοῦ ποταμοῦ]; Sine mora expunge putidissimum emblema τοῦ ποταμοῦ. Quis ferat ad ipsos Antiochenses ita dicentem? Continuerunt manus scioli pag. 467, παρὰ τὴν ὀχθὴν Ὀρόντου τὰ σὰ τιμήσειν ὀμώμοκεν, et in oratione περὶ τῆς ἑαυτοῦ τύχης p. 85. Libanio causam civium agente τις τῶν καθημένων παραρρεῖν τὸν Ὀρόντην ἔφασκε. Sic Iulianus ipse dicitur p. 579. ἐπ' Ὀρόντῃ διατρίβειν. Sic p. 616, τίς γὰρ ἂν ἀντεῖπεν ἐπὶ τὸν Εὐφράτην προσάγοντι (L. προάγοντι) τὴν ἐπιθυμίαν; τίς δ' ἂν ἐπὶ τὸν Ὀρόντην; τίς δ' ἂν ἐπὶ τὸν Κύδνον; τίς δ' ἂν ἐπὶ τὸν Σαγγάριον; Quo magis supervacuum et inficetum est addere τὸν ποταμόν, si quis in media Antiochia verba facit.

Duplex inficetum additamentum impedit et tardat concitatae orationis impetum p. 506, οὐκ ἀποστελοῦμεν φήμην ἐπ' αὐτὸν Χοάσπην Ἀντιοχεῖς ἀπολελόγηνται [λέγουσαν]; οὐ δεξόμεθα τὴν ἐκεῖθεν βασιλεὺς διήλλακται [λέγουσαν]; Vel sola auris alienae manus insulsa supplementa redarguit.

Addam locum unum ex oratione *in obitum Iuliani* Tom. I. p. 556, ubi Iulianus pepercisse narratur nonnullis qui ei insidias struxerant; οἱ δὲ φαιδροὶ καὶ τεθαρρηκότες περιειστήκεσαν τὸν θρόνον τοῦ μὴ τεθνάναι χάριν εἰδότες, ὧν οὐ προσηκούσας ἀμοιβὰς ἀπέδωκαν. ἀντὶ γὰρ εὐεργεσίας οὐκ ἐδέησαν (κατὰ

τὴν παροιμίαν) ἀλλ' ἐβουλήθησαν ἀποκτεῖναι. Male interpretatus est hunc locum Reiskius, qui non est recordatus noti proverbii,

ἀντ' εὐεργεσίης Ἀγαμέμνονα δῆσαν Ἀχαιοί,

apud Zenobium II, 11 et alios. Repone igitur ἔδησαν pro ἐδέησαν et locus expeditus erit. Eodem proverbio usus est Libanius in Epist. 194, οἱ πολλὰ δὴ παρ' αὐτοῦ χρηστὰ παθόντες ἀντ' εὐεργεσίας Ἀγαμέμνονα, φασίν, quem locum attulit Schneidewinus ad Zenob. l. l.

Non teneo me quin unum etiam praeter haec vitium admodum ridiculum in alia Libanii oratione redarguam et tollam. Quum ἐν τῷ Ἀντιοχικῷ magnificas suae Antiochiae laudes celebrasset et imprimis nobilissimam Δάφνην exquisitissime ornasset, haec verba in fine addidit (Tom. I. p. 352), ἀμφισβητεῖν δὲ βουλομένη (ἡ Δάφνη) πόλεσιν (nam ipsa erat προάστειον) ἐκ πολλῶν ἔχει τὸ νικᾶν. ἢ καὶ Ῥωμαίων ὅσους θεατὰς ἔλαβε νενίκηκε πείσασα μηκέτι τὴν Γαλιλαίαν ὑμνεῖν ὡς ἀήττητον τὰ τοιαῦτα. Scire velim quo sensu amoenissima Δάφνη Romanos omnes, qui spectatum venerant, dici possit νενικηκέναι. Emendandum esse arbitror, ὅσους θεατὰς ἔλαβεν ᾕρηκε, *cepit*. Quidquid amoenum et pulchrum est ut Latine *capere aliquem*, sic Graece αἱρεῖν τινά dicitur. Sequiores Graeci verbum passivum quoque addebant ἁλίσκεσθαί τινος dicentes pro *alicuius amore capi*, quem usum veteres ignorant. Sed multo gravius mendum superest. Audi Reiskium: „Galilaeam ob amoenitatem adeo celebratam apud Romanos tum temporis fuisse ex hoc loco primum disco quod antea nesciebam." Quaerendum est quid Libanius scripserit pro τὴν Γαλιλαίαν. Reiskius aliquando cogitaverat de *Cutilia* in Sabinis, ubi Vespasianus diem obiit, vid. Reim. ad Dion. Cass. 66, 17. sed merito hanc suspicionem abiecit. Quid autem est quod Romani omnium locorum amoenitatibus anteferre solebant? Nempe *Italiam ipsam* naturae munere semper amoenam, sed illis temporibus etiam omnibus elegantiae et luxuriae instrumentis omnium terrarum beatissimam, quorum nunc rudera ipsa defixi admiramur. Romani, qui quidquid in Asia erat visendum fastidiosi prae Italia sua contemnebant, incredibili τῆς Δάφνης amoenitate capti (si Libanio fides) desinebant

Italiam in talibus incomparabilem esse praedicare. Repone igitur, *πείσασα μηκέτι τὴν* ΙΤΑΛΙΑΝ *ὑμνεῖν*. Mirum errorem, dices: *Ἰταλίαν* in *Γαλιλαίαν* conversam. Mirum esse concedo, sed sic isti solent, alias res agentes et vocabula ex N. T. antiquis obtrudentes.

De amoenitate Italiae e multis testibus unum producam, ipsum Libanium (Tom. I. p. 559) qui Italiam illo laudis titulo ornavit, quem servat hodieque apud omnes, *Ἰταλίαν τ ὴ ν κ α λ ή ν* appellans.

C. G. Cobet.



POLYBIUS SUPPLETUS ET CORRECTUS.

Quatuor vocabula exciderunt, sed facillime e fuga retrahi possunt apud Polybium I. 42: ubi scribit: *τὴν σύμπασαν Σικελίαν τῇ θέσει τετάχθαι συμβαίνει πρὸς τὴν Ἰταλίαν παραπλησίως τῇ τῆς Πελοποννήσου θέσει πρὸς τὴν λοιπὴν Ἑλλάδα. τούτῳ δ' αὐτῷ διαφέρειν ἀλλήλων ᾗ ἐ κ ε ί ν η μὲν χ ε ρ σ ό ν η σ ο ς. ἧς μὲν γὰρ ὁ μεταξὺ τόπος ἐςὶ πορευτός, ἧς δὲ πλωτός.* Manifestum est suppleri oportere *ἐκείνη μὲν χερσόνησός* (*ἐςιν, αὕτη δὲ νῆσος*). Scribae oculi a priore ΝΗCΟC ad posterius aberrarunt, unde media omissa sunt. Vide nunc an retineri possint puerilia ista *ἧς μὲν* — *πλωτός*, quasi vero quisquam docendus esset quid inter *paeninsulam* et *insulam* intersit.

Simili de causa XXI. 14 post verba, *οὔτε νικήσαντας ἔφη Ῥωμαίους οὐδέποτε γενέσθαι βαρυτέρους*, supplendum est, *οὔτε ἡττηθέντας ταπεινοτέρους*. Cf. Liv. XXXVII. 45.

In Polybii Excerptis e Palimpsesto Vaticano multa Heyse optime constituit, peccavit in paucis. Peccavit p. 30 ad Polyb. XIV. in his: *φύσει γὰρ πάντες ἄνθρωποι κἂν ὅλ(ως εὐ)χερ(ῶς) παραδέχωνται τὰ κατὰ μέρος ἔργα* — *ὅμως ἑκάςων τὸ τέλος ἱμείρουσι μαθεῖν.* In *ὁλ . . χερ . .* latebat *ὁλοσχερῶς*, quo quam saepe Polybius utatur notum est omnibus.

Propediem ad haec Excerpta revertar.

C. G. Cobet.